

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z


CXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

despicit superbus grammaticus, qui felicius in suo Pindaro nugaretur, quam in sacris prophanandis. DEUS illum modo perdat, qui Ecclesiae lux maximum malum dedit & porro dabit. Natus est ad turbas, tribunitium plane ingenium, quod nihil nisi laudem sui ipsius arroganter spirat. Occasione oblata ita tractabo eum, ut intelligat, me non despere. Novi quis sit, non est, ut alios tantopere despiciat. Nec omnis eruditio in cœcitate Homeri aut morosa obscuritate Pindari sita est. Nec indoctus centendus est, qui bonas horas in illis nugis non perdidit. Quin horator ero nostris strenuus, ut Castalianis exemplum secuti, hanc stultitiam deplorent, quæ à quibusdam judicatur summa sapientia; sicut videre licet in præfatione Homeri translatorum, quæ mihi summopere probatur. Ego te cum sanctissimo Collegio milles salvare jubeo. Bene & feliciter valete omnes. Eslingæ, pndi
Calend. Augus^t. 1567.

Tuus ex animo totus

Jacobus Andreæ.



CXXIX.

Salutem in Christo.

ACcepimus, Clarissime D. Doctor, duo exempla libri tui, quem ad afferendum Hominis Christi Majestatem contra Cinglianos scripsisti. Primo omnium autem & nostro & Ecclesiæ nomine agimus tibi maximas gratias, quod hunc piuum laborem in te receperis: maximè vero, quod ad collectionem testimoniorum attinet Patrum, qui ab Adversariis nostris novi dogmatis authores audimus, cum haec sit longe omnium verutissima & antiquissima Doctrina, jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia magno consensu omnium piorum tradita. Id quod quadraginta S. Patrum testimonios declaravisti, qui intra quingentos annos à Nativitate Christi vixerunt. Etsi autem veremur, ne quidam fastidiosi Lectores prolixitate scripti (quod certe ab omnibus legi optamus) deterreantur, tamen cum tibi visum fuerit explicationem addere & declarationem paulò uberiorē, ne hoc quidem nobis displiceret. Quibus enim veritatis cognitio grata est, illis nihil prolixum esse potest, quod ad veritatem illustrandam suscipitur. Sanctorum Patrum testimonia dissimilia sunt, quedam aperta, quedam minus aperta, quedam fortiter, quedam minus fortiter pugnant. Sed in tanto numero satis est etiam pauca explica & apertissima testimonia habere, quibus cum consentiunt, que minus explica & paulò obscuriora videntur. Certum enim est, omnes pios à tempore Apostolorum hoc de Christo credidisse, quod nos pio consensu docemus, nec de dimidia Christo cogitavisse, quem nobis Cingiani obtrudere conantur. Adoramus

nos

A. 1567.

PARS TERTIA.

251

non dimidiatur, sed totum Christum, non juxta divinitatem solum, tanquam di-
midia sui parte, sed totum in omnibus rebus adversis praesentem, sicut Symbolum
Apostolorum manifeste confirmat. Absit ergo a nobis, ut hanc Cinglianorum
impiam opinionem probemus, quorum conscientia ita sauciata est, ut quid senti-
ant, vix profiteri audeant, sed verbis involvere conantur, ut simplices decipient,
qui falso opinantur, eos propterea idem nobiscum sentire, quod idem nobiscum
loquuntur. Quibus nunc beneficio DEI intra aliquot annos detracta est larva; ut
non facile se se posthac tegere queant. Tandem enim illorum impietas manifesta
fiet etiam iis, qui eam nunc tanquam celeste oraculum exosculantur. Quoniam
vero Millenarii testimonia desunt Patrum, qui priores cum Scholasticis Theologis
consequuntur, opera & precium te facturum existimamus, si cum precedentibus
testimoniis sequentia quoque conjunxeris, nisi opus imperfectum relinquare & pol-
licitis tuis non satisfacere velis. Et novisti procul dubio, Scholasticorum imprimis
perspicua & luculenta extare testimonia, qui ex Majestate unionis personalis carnis
assumptae cum verbo, praesentiam corporis & sanguinis in Coena confirmarunt. Da-
bis autem operam, ut qua fieri potest brevitate expellas, ne forte prolixitas Lecto-
rem deterreat. Nec opus erit, singulis testimoniis singulas subjungere declaratio-
nes. Sufficit enim una pluribus testimoniis collectis addita. Id quod etiam mi-
nore molestia & labore, majore autem cum fructu Ecclesia a te praestari poterit.
De modestia nihil monemus, cuius fines in hoc scripto tuo observasti. Idem cum
feceris in alio, nihil habebunt adversarii, quod jure reprehendere queant.

Quod vero ad conventum Principum attinet Heidelbergæ celebratum, & Le-
gatos quorundam ad Dominos Reipubl. Argentoratensis missos, simul etiam liter-
as Illustrissimi Principis D. Landgravi W ilhelmi ad te, & D. D. Sturmum scri-
ptas, nolumus te celare, quod audiverimus, Illustrissimum Principem nostrum,
Christophorum, Ducem Wirtebergensem &c. Landgravium &c. & Marchio-
nem Badensem, Carolum Haidelbergæ, propter certa quædam negotia expedien-
da convenisse. In quo conventu cum obiter mentio facta esset diffusionis Theo-
logorum in articulo Coenæ Dominicæ, tandem etiam eo deventum est, qua ratio-
ne caveri possit, ne eruditii tanta acerbitate scinvicem de hac parte doctrinæ scriptis
peterent.

Palatinus igitur de sua voluntate testificatus, promisit, se curaturum sedulo, ne
Concionatores sui posthac aliter de praesentia corporis & sanguinis Christi in Coena
Dominica doceant, quam in Formula concordiae Anno 1536. W ittebergæ conscripta
continetur. Quo auditio, Landgravius ab Electore Palatino & nostro Principe pe-
tit, Theologis utriusque partis silentium imponeretur, ne posthac scriptis contendant.
Quod Illustrissimo Principi nostro non visum est grave aur pericolosum, si
quidem controversia satis perspicue explicata, & veritas manifesta est, ut scriptio-

ne ulteriore non sit opus. Et haec tenus Illustrissimi Principis nostri Theologi soli partes respondentium sustinuerunt: Silentio igitur Palatinis imposito, nihil habent nostri, quod illis scribendo contradicant: ut interim taceamus, in novissimo scripto nostro nos haud obscure testatos esse, de nostra voluntate, quod post hac amplius, nisi provocati, nihil contra illos scripturam simus. Hac ratione & non aliam inter Principes de hoc negocio Haidelberga tractatum est. Ex quo intelligere potuimus, adversa parti ad confirmandum errorem suum nostros nihil largitos esse, quod ad veritatem Doctrinæ celestis obscurandam, aut errorem Calvinianorum propagandum facere queat. Nos beneficio DEI puram & sinceram Doctrinam Religionis cum in aliis, tum in primis hac in parte tuemur. Neque prohibemur adversa parti heresim pro concione, aut scriptis confutare. Id quod Domino volente in posterum quoque, qua potuerimus fide & diligentia, pro virili nostra, sinecessitas exigat, faciemus. Haec breviter de hoc negocio: ne forte existimes, Principes nostros adversa parti aliquid largitos, quo ad propagationem sui erroris unquamqueant. Et intercessionem quoque apud Senatum urbis vestrae non malo confilio factam esse arbitramur, quam fortassis precatio apud aliquos obtinuit Palatinus aut forte de scripto tuo aliter persuasi fuerunt, quam res ipsa & eventus docuerunt. Quod cum legerint, aut suis legendum proposuerint, speramus, illis quoque probatum iri. De illorum enim sinceritate in hac parte Doctrinæ nihil dubitamus. Utinam & Electoris quoque Theologi ad saniores mentem redeant.

Dominius Jesus Christus Salvator noster ad Dexteram DEI patris sedens, dona dans hominibus, spiritum sanctum largiatur omnibus in Ecclesia & Scholis docentibus, ut sinceritas doctrinæ cœlestis contra omnis generis corruptelas inviolata conseretur. Amen. Bene & fœliciter vale. Studiardia; 19. Augusti, Anno salutis, 1567.

Jo. Brentius.
Jacobus Andreæ.

CXXIX.

S. in Christo. Reverende & Clariſſ. vir.

Gratulamus tibi adventum in has terras, & gaudemus quod Eilingam felicititer attigeris. Cum autem nihil sit dulcius, quam ^{νόσος οὐ πατεῖται} ^{καὶ οὐ πάσχει} ^{βλέπεται}, reverenter te oramus, ut cum in suscepso itinere Argentinam versus perecturus es, per Studiardiam transcas, & nos salutarre non dedigneris. Vix unius hora mortaliter longius est iter Argentinense per Studiardiam quam per Canstadium. Hanc ex gratia tempusculi morulam bonorum virorum apud nos colloquia tibi levabunt, &

